Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



hoc dixisset. ostendit eis manus et pedes. Adhuc illis non credentibus et mirantibus pre gaudio dixit. Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi porrexerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducasset coram eis. sumens reliquias dedit eis. et dixit ad eos. Hec sunt verba que locutus sum ad vos. cum adhuc essem vobiscum. quoniam necesse est impleri omnia. que scripta sunt in lege moysi. et prophetis. et psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum. ut intelligerent scripturas. et dixit eis. Quia sic scriptum est. et sic oportebat pati xpm. et resurgere a mortuis die tertia. et predicari in nomine eius penitentiam. et remissionem peccatorum in omnes gentes.

Feria iiii. et Ad uno apostolorum

Hi primi pentecostes sunt dixerunt. Viri israhel. et qui timetis dominum audite. Deus abraham. et deus ysaac. et deus iacob. deus patrum nostrorum glorificavit filium suum ihesum. quem quidem tradidistis et negastis ante faciem pylati iudicante illo dimittere vobis autem sanctum et iustum negastis. et petistis virum homicidam donari vobis. auctorem vero vite interfecistis. Quem deus suscitavit a mortuis. cui nos testes sumus. Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis. sicut et principes vestri. Deus autem quem pronuntiavit per os omnium prophetarum pati xpm suum. impleuit sic. Penitemini igitur et convertimini ut deleantur vestra peccata.

Secundum iohannem.

Illo tempore. manifestavit se ihesus discipulis suis ad mare tiberiadis. manifestavit autem sic. Erant simul simon petrus. et thomas qui dicitur didimus. et nathanahel qui erat a cana galilee. et filii zebedei. et alii ex discipulis eius duo. Dicit eis simon petrus. Vado piscari. Dicunt ei.

226